

Pompa Ingressus  
**SIGISMUNDI III.**  
ELECTI POLONIÆ, ET DES.  
Sueciæ Regis, Magni Ducis  
Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ,  
Masouïæ, &c.

*In metropolin Regni Poloniae*  
**CRACOVIAM.**

Accesserunt Epigrammata erudita, in arcibus  
triumphalibus, singulis regibus Poloniæ Jagelloni-  
cis ordine positis inscripta: quibus ad virtutes  
maximiè illustres, quæ in maioribus efful-  
serunt, religiosè imitandas, Sigismundum  
nepotem singuli hortantur.



*Ex praescripto exempli Cracoviae editi*  
*Recusum à Stephano Myliandro.*

ANNO  

---

CIC  
XXVIII.

**A** summorū Principum fortuna est, ut  
quemadmodum ipsa celso atq; illustri loco  
collocata est: ita nihil in rebus quoq; ipso-  
rum humile atq; obscurum esse possit. Non  
modò autem, quæ ab ipsis insigni cum laude atq; glo-  
ria sunt, partim fama, partim literæ omnibus tradere  
solent: verùm quæ à populis etiam, apparatiore aliqua  
cum pompa, in honorem eorum constituta, apud sapi-  
entes sàpè doctrinæ alicuius, apud vulgus etiam o-  
minis, locum habent. In SIGISMVNDO III. Rege  
ea indoles, nçq; ad summas quasq; virtutes impetus sunt,  
ut nihil nisi amplum atq; gloriosum expectari ab eo  
possit, aditum autem ad regnum, atq; adeò res geren-  
das ipsius, Cracoviensis maximè ingressus, in eoq; v-  
niuersi populi lætitia atq; gratulatio illustrauit.

Ingressus vibem eam est V. Idus Decembris.  
cumq; Veliciae oppido Salinario, vnum ab vrbe milli-  
are disito, pernoctasset: quod ratio itineris ipsius po-  
stulabat; ad CASIMIRIAM: quod oppidum flumi-  
ne Vistula & Magistratibus suis à Cracovia disiun-  
ctum, cùm loci propinquitate, tùm alijs omnibus re-  
bus coniunctum cum ea est: primùm accessit. Iusto  
ante oppidum interuallo, qui è Senatu regni atq; no-  
bilitate Cracoviæ erant, vniuersi ferè illi occurrerunt;  
eorumq; nomine omnium, Laurentius Goslicius epi-  
scopus Camenecensis disertissima oratione Polonicè  
concepta, Regem exceptit; respondit Rex & ipse Po-  
lonica Oratione, cùm expedita, tum grauitatis atq; hu-  
manitatis plena. Ab eo loco consensis rursum equis,  
recta ad oppidum perrectum est, in aditu Vistulæ  
arcus frondibus & auleis ornatus, infra scripto cum  
epigrammate positus fuit.

VIS.

## V I S T V L A.

Ille ego Sarmatiae fluviorum *Vistula* princeps,  
Rēgem unum venerans te Sigimunde meum.  
Inviolata alijs: quantumvis tempore longo  
Tentata: en subito cornua subdo tibi.

Eadem autem ratione, quemadmodum *Vistula* aduentantem Regem excipere videretur, ita aliud, sub ipsa tamen arce, qua ex urbe in arcem Rex ascenderet, quo quasi Rudaua quoq; qui vniuersam Cracouiam fluuius ambit, aduentum ei gratuletur, hoc epigramma propositum fuerat.

## R U D A V I A.

Ipse etiam quanuis humilis Rudania riuis  
Melatum aduentu Rex fero magne tuo.  
Hospite te latus: sed funere nuper acerbo  
Multorum ♂ mistus sanguine tristis eo.  
Qui melius Christi pro religione tulissent  
Sacra vel in Solymos insta vel arma Scythes.

Verum ut eō, vnde digressa est, oratio reuertatur, cūm per eum, de quo supra commemoratum est, arcum, atq; oppidum Casimiriam, quodq; inter id & Cracoviam arcis subiectum est suburbium Stradomiam traductis, ad portam urbis, quæ proximè ad arcem dicit, peruenisset: ad dextram per fossas urbis deflexit parsq; ut militi, qui omnis per acies instructus eum expectabat, spectandum salutandumq; se præberet, partim

partim ut per frequentissimas urbis regiones ingressus,  
seu potius urbem totam emensus, & ipse se urbis am-  
plissimæ spectaculo, & urbem uniuersam desideratissi-  
mo sui aspectu expleret.

Itaq; ambitu capto, in campum primò, in quo di-  
uersas acies militum explicatas cum expectasse, ostend-  
sum est, profectus fuit. Eodem autem sete loco, ab  
Academia etiam atq; urbano magistratus Cracouien-  
si, qui cum aliquo numero equitum e ciubus lecto pro-  
dierat, exceptus fuit; cum Casimiriensis magistratus  
prærogatiua quadam vetere iam ante eum exceperisset.  
Inde igitur per subiectum vrbi campum mediasq; acies  
militum: Ioanne Zamoscio, vt qui cum imperio mi-  
litari esset, singulas turmas, & cohortes, ordinumq;  
ductores illi commendante: inuectus ad Clepardiam,  
quod aliud ante Cracouiam oppidum est, peruenit.  
In ingressu congeries armorum, ex ijs, qui nuper irru-  
ptione tentata reiecti fuerant, in modum trophai, cum  
hoc titulo, structa fuit;

SIGISMVNDO III. electo POLOma  
¶ Def. Sueciae Regi, quod eius auspicijs, Maxi-  
miliani Archiducis Austriae miles, ad oppugnan-  
dam urbem missus, vclus, magnaq; cum cæde  
tormentisq; ademptis repulsus sit, Dux ¶ mili-  
tes, qui pro dignitate Regia ¶ libertate patriæ ex-  
cubarunt, vt de Christianis, partim etiam ciubus  
magistri; vt verò necessitate ac vi fibrillata, ea supe-  
rata, Deo victoria autori gratias agentes. PP.

Alatere, maiora tormenta octo, minorumq; currus  
duo, vexilla totidem, ab ijsdem capta, exposita erant.  
Portam, ingressumq; ipsam, arcus frondibus tapeti-  
busq; & pictura ornatus, complectebatur, inq; summo  
arcu effigies Stephani regis posita, qui quasi successori  
de regno cederet, hec epigrammata subscripta habebat.

### REX STEPHANVS.

Proximus en regni Stephanus possessor, & idem  
Affinis, forti dat tibi sceptra manu.  
Sit virtute parens, qui non est sanguine. sic te  
Vicorem penna perpetue fama feret.

### ALIVD.

Affine in Stephano, cui nunc succidis, adempto,  
Virtutes varias, quas imiteris, habes.  
Non illo pietate prior, non pace, nec armis,  
Non alijs maior dotibus alter erat.  
Dedecus is nostra à patria deformè remouit,  
Illi restituit dum Polocense solum.  
Insuper adiecit multas huic strenuus arces,  
Myschorum domitu per sera bella duce.  
Quod si vera licet tanto de rege fateri,  
Non habuit toto, viuus in orbe parem.

Per Clepardiam rectâ inde ipsam urbem inuestitus  
fuit; per quam ingredientem ordine aliquot arcus or-  
natissimè instructi, Iagelloniorumq; vt maiorum ipsi-  
us, imagines præferentes, eum exceperunt. Effigies  
enim

enim eorum, cūm plerisq; ferē vetustate ignotæ essent,  
Ioannes Zamoscius Cancellarius, exercituumq; regni  
præfектus, ex antiquissimis quibusq; monumentis,  
partim etiam abditis locis eruerat. Proximè ante arcus  
eos, hoc epigramma constitutum fuerat; quo quasi de  
sequentibus maiorum suorum imaginibus Rex admo-  
neretur.

### I A G E L L O N E S.

*Quos deinceps cernes positos ex ordine Reges,*  
*Clara Iagellonica sceptra tulere domus.*  
*Onnes hi sero gratantur regna Nepoti,*  
*Exemplaq; volunt te erudiisse sui.*  
*I felix: imitare tuos. initando tuorum,*  
*Cunctorum vinces inclita facta tuis.*

Effigies ipsæ, seu arcus, in quibus expositæ eæ e-  
rant, hoc ordine collocati erant, vt à Sigismundo Au-  
gusto initio facto, nouissimos quosq; reges priores o-  
stenderent: in Iagiellone, qui arcus iam ad ipsum arcis  
introitum pertinebat, desinerent. Verum quod &  
dignæ memoria sint, & antiquitatis studiosis non insu-  
cendum id futurum putemus, ipsas effigies ad viuum  
quantum fieri potuit, expressas, cum epigrammatibus  
suis, subijcere vīsum fuit.

### SIGISMUNDVS AVGUSTVS.

*Arma crepent alij, dum me Clementia, quod iam*  
*Nomine eram, Augustum re quoq; præstiterit.*  
*Hac & complures regnui tutus in annos*  
*Venit & in leges Liuonis ora meas.*

SIGIS-

SIGISMUNDVS I. aulis.

Misericordia, rerumq; simili prudentia iuncta,  
Patris apud Reges nomen habere dedit.  
Sed tamen intacte colui sic Palladis artes.

Non quisq; ut in aior me quoq; Marte forct.  
Quae prius assiduis nutabat Prussia bellis  
A me perpetuo fædere iuncta fuit.  
Cuncti hostes autem Moscus, Dacus, Scytha, Tur-  
Senserunt enses & timuere meos. (ca,

A L I V D.

Sigmundus, vita, factis, venerandus & aeo,  
Multæ exempla tibi suppeditauit annus.  
Cui matura graui prudentia niente sedebat,  
Et pietas cordi religioq; fuit.  
Aurea Sauromatis isto sub Rege fuerunt  
Secula: adhuc prisca nempe vigente fide.  
Non bello quam pacem minor: persæpè fugabat  
Exili felix agmina densa manu.  
Prostrabat Moscum, Prussos, Valachosq; , Scy-  
Terrori & Iurcis non semel ille fuit. (thasq;

ALEXANDER REX,

Sigismundi frater.

Cum iam fata meæ finirent tempora vite  
Tattarus ingenti strage mihi occubuit.

Sed

Sed tamen haud tantum mihi vel victricibus ar-  
Arrogo, vel sceptri regij honore sacro: (mis  
Quam quod seruavi semper consulta Senatus  
Atq; modum dandi publica constitui.

IOAN. ALBERTVS REX  
Sigismundi frater.

Simea par cæptis magnis fortuna fuisse,  
Non facile quis quam clarior orbe foret.  
Inuidæ verum animos ludens fortuna viriles,  
Fallere me potuit, frangere non potuit.  
Pannonicis q; licet, Dacis q; repulsi ab oris,  
Cæsa tamen vidi vertere terga Scytham..

CASIMIRVS Proauus.

Coniurata iugum postquam excusisset herile,  
Quæsissetq; meam Prussia sensit openi.  
Meq; sua vidit pro libertate cruento  
Versantem in bello bis duo lustra ferè.  
Aurea Prussiaca dum fingen succina Nymphae  
Virtutis viuet fama decusq; meæ.

B VLA.

## VLA DISLA VS REX

Casimiri frater.

*Me iuuenem rapiens fulgenti Gloria curva  
Regia Pannoniae sceptrum gerenda dedit.  
Atq; eadem Turcas audax immisit in hostes.  
Mixtum fortis prælia dura manu.  
Hinc mihi crudelis rapuit cùm Varnia vitam  
Victum hand potuit tollere morte decus.*

## A L I V D.

*Hic genuinas meruit regnum ferre coronas,  
Attollens fama iam super astra caput  
Sæpius audaces Saracenica semina Turcas  
Fudit: Et ad pacis compulit ire preces.  
Sed dum nulla modum victoria querit in hoste  
Pro sancta pugnans religione cadit.*

## VLA DISLA VS Iagiello abauus.

*Me pietas Et religio per me insita primum  
Lithuanis celebrem tempus in omne ferent.  
Sed tamen atroci quantum quoq; Ma<sup>te</sup> valorem  
Prussia Teutonico milite strata docet.*

Ex iti-

Ex itinere priuium ad D. Floriani in Clepatia de-  
scendit; laudibusq; quæ ex more Deo redderentur in-  
terfuit; ibidem Cardinalis Battoreus, Stephani regis  
fratris filius, eum exceptit. In arce ante omnia etiam  
ad D. Stanislai ædem, quæ ex illius reliquijs, & fun-  
datione sepulchrisq; Regum omnium, celeberrima  
est, cum descendisset, vniuersi Capituli nomine, ab  
Erasmo Dembinio Decano salutatus, institutas Deo  
laudes, vñâ cum alijs reddidit. Cum autem in noctem  
vñq;, propter agminis magnitudinem, ingressus pro-  
tractus esset, tanta tamen copia luminum vbiq;  
exposita fuit, ut nulla dies ea nocte illustrior  
esse posse videretur: multò autem illustrio-  
rem atq; celebriorem publica omnium  
gratulatio, omniaq; quibus euntem re-  
gem vniuersi prosequabantur, eam  
redderent.

